

peris, gravi damno. Pecunia talis res est, cujus usus est ipsa ejus consumptio, unde non potest seorsum computari usus a re ipsa; sed ex eo quod conceditur res, conceditur ejus usus: sicut non licet vendere alteri vini usum, retento vini dominio. Aliter dicendum, cum res et ejus usus diversa sunt; ut cum equus alicui ad iter vel laborem commodatur. Quæ si non sufficiunt ad execrationem usuræ, terreat saltem malus usurariorum finis, quem ut plurimum sortiuntur. In hist. de viris illustribus ordinis Cisterciensis legitur, de quodam feneratori, qui dum in extremis esset, vocavit notarium pro faciendo testamento, idque in hunc fere modum dictavit: In nomine diaboli, anno damnationis meæ, cum essem pessimæ mentis, commendo corpus terræ, animam diabolo. Animam meam dæmoni trado, quia multa aliena rapui, et iniquis contractibus acquisivi. Et quia uxor mea fuit complex facti, do illam etiam diabolo; et quia filii mei de usura illa vixerunt, do et illos diabolo; et quia confessarius sæpe me confitentem non correxit, nec ad restitutionem obligavit, etiam illum do diabolo. Et his dictis expiravit. En quam verificatur hodiernum evangelium in hoc homine! Audivimus enim venundatum debitorem cum liberis et uxore; quia videlicet peccata patris multoties causant vel promovent, id quod in presenti exemplo contigit.

V. Tales sunt, qui veniam petentibus dare abnuunt; tenent enim illos, dum appetitum vindictæ retinent in mente; suffocant vero, dum veniam rogantibus negant, et per hoc eos in odio etiam confirmant. Quibus justa Dei vindicta sæpe accidit, quod servo nequam, ut in foveam incidant, quam inimicis suis foderant. Exemplum de Nicephoro imp. refertur apud Baron. anno 811. qui cum diu afflisset et vastasset regnum Crunni Bulgarorum regis et pacem suppliciter petenti Crunno dare abnuisset, illud subinde repetens: *Quis ibit et decipiet Achab? Quis sive Deus, sive adversarius trahet me nolentem?* Tandem Crunus videns se nihil obtinere, offerendo quas vellet alter conditiones pacis, in furorem versus per noctem eum fortiter invadens, profligavit et occidit, amputatoque illius capite, ex cranio ipse et principe Schlavinorum biberunt. Caro etiam constitit Clotario Francorum regi, Clodovæi filio, in simili causa veniam negasse Iuetoto nobili Gallo, quem reum credebat læsæ majestatis, cum vere esset innocens tantumque per calumniam ab ejus gratia excidisset, ex eo vero tempore toto decennio contra Saracenos in Africa fortiter dimicasset. Quo exacto Romam se contulit, impetratisque ab

apostolica sede commendatitiis litteris in Galliam rediit, regem sibi infensum et in templo apud Sussiones versantem eo die, quo Christus in cruce pendens veniam impertivit suis crucifixoribus, adiit supplexque obtulit summi pontificis litteras, obtestatusque est ut communis illius Redemptoris memoria, in suæ majestatis gratiam reciperetur. Nemo non sperabat fore ut venia donatus recederet, sed fefellit rex expectationem universorum educto pugione tempore et loco sacro mox supplicem interemit; quæ immanitate incurrit in odium plurimorum, ab apostolica sede percussus anathemate a quo non est ante liberatus, quam totam Iuetoti familiam libertate donavit, et declaravit nullo unquam tempore obnoxiam fore regiæ potestati, nisi forte exemptionem illam suam venderet. Refert Belleforetius, in Clotario. Sed mitius cum hoc rege actum. Væ talibus, cum Dei judicio tradentur! Quia veniam non impetrabant, qui veniam non dederunt.

VI. Tales sunt qui in aliis severius reprehendunt, quod ipsimet faciunt. Ut primo, qui rigidius exigunt debitorum solutionem, cum ipsi sua non solvant, uti servus iste nequam. Hi enim seipsos condemnant, dum secum haberi patientiam volunt, cum aliis vero habere nolunt. Non didicerunt isti prima christianæ disciplinæ rudimenta, quæ docent: *Quod vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Huc referendi quidam mariti qui fidem thori quidem ab uxore exigunt, eandem tamen ipsis non servant, id quod fecit Ælius Verus Cæsar, qui propterea uxori de extraneis mariti voluptatibus conquirenti respondit: *Uxorem dignitatis nomen esse, non voluptatis, quasi viro liceat voluptatis gratia se aliis feminis miscere, refert Spartianus, in Ælio: sanius et æquius Antonius imperator, qui legem tulit, ne maritus adulterii accusare posset uxorem, si ipse impudice vixisset: Periniquum enim mihi videtur, inquit, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet, refert D. Augustinus, de adult. conjug. I. II. c. VIII.*

Secundo, qui in aliis parva reprehendunt, ipsi interim magna committunt, itaque centos denarios requirunt, cum ipsi decem millia talenta debeant. Ita: *Eleganter et veraciter, inquit Sanctus Augustinus, lib. IV. de civit. c. IV. «Alexandro Magno quidam pirata comprehensus respondit, cum ab eo interrogaretur, quid ei videretur ut mare haberet infestum? Ille libera voce: Quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo navigio facio, vocor latro: quia tu magna classe, imperator.» Visus est aliquando ridere Socrates præter*

consuetudinem, et interrogatus cur rideret? «Video, inquit, magnos latrones ducentes parvum ad suspendium, qui digniores sunt suspendio;» additque: «Sacilegia parva puniuntur, sed magna in triumphis feruntur,» Valerius Max. I. VII.

Tertio, qui misericordiam a Deo expectant vel jam acceperunt, ejus tamen mox obliti, immisericordes sunt in alios. Advertere debent isti se nondum excessisse e Dei jurisdictione et territorio, adeoque revocari ad judicium posse, sicut revocatus est servus nequam. Longissimæ enim sunt Deo manus: *Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus, Jerem. XLIX.* Et de jure civili, ob ingratitudinem donatarii, revocari potest donatum et beneficium collatum, de post. c. I. feudum XCVI. l. c. eo §. aliæ legatum, ff. de inoff. testam. I. Papinianus. Id etiam expertus est servus nequam in hodierno evangelio. Quare, auditores, abhorreamus toto pectore ab his immanitatibus et dicamus cum Josepho illo patriarcha: *Quomodo possum hoc malum facere?* Induamus potius viscera misericordiæ, quo misericordem aliquando inveniamus judicem. Quanta res hæc foret, si diceret nobis Deus: En vobis calamum et atramentum, scribite vobis ipsis, quale vultis judicium ferri in vos, judicii tempore; id enim ego feram! Quanta hæc res foret! Atqui in hodierno evangelio hanc nobis potestatem facit, dum asserit tale futurum Dei in nos judicium, quale nostrum est in proximum. Non ergo scribamus: *Justitia, justitia*, sed potius: *Misericordia, misericordia*, misericordiam consequamur.

## CONCIO VI.

## EXAMEN FUTURI JUDICII QUAM DISTRICTUM SIT, NEMO CREDIT.

I. Ob multitudinem rerum, de quibus reddenda ratio: 1. De bonis gratiæ. 2. De bonis animæ. 3. De bonis corporis. 4. De bonis fortunæ. 5. De bonis jurisdictionis. — II. Ob districtum judicis examen: 1. De omnibus rebus. 2. De usu talentorum. 3. De singulis actibus. — III. Ob summam regis æstimationem.

## THEMA.

*Voluit rationem ponere cum eis.* Math. XVIII.

Scribit Jacobus de paradiso Carthusianus, in libro de peccat. mental. fratrem religiosum honestæ conversationis, post mortem alteri cuidam fratri suo quem vivens intime dilexerat, oranti

apparuisse habitu vili et vultu tristi. Cujus rei causam cum superstes quæsisset, respondit defunctus: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Attonitus hac responsione vivus iterum interrogat, quidnam illud sit, quod nemo credit. Cui defunctus: *Quam districte Deus judicet, et quam severe puniat.* Hoc dicto disparuit et viventem magno concussus timore reliquit. Et vero quem non terreat hæc vox, quæ in omnium nostrum gratiam facta et audita est?

Tria sunt in judicio divino summopere metuenda, quæ nemo hominum credit, donec quis experiatur. Primum, multitudo earum rerum, de quibus est reddenda ratio: alterum judicis examen et disquisitio accuratissima, severissima: tertium, gravissima rerum æstimatio quam habebit judex. Et forsitan ob hæc tria defunctus ille monachus tertio dixit: *Nemo credit.* Ea vero ut crederemus, proposuit nobis Christus triplicem parabolam de suo illo examine. Primam, in hodierno evangelio, de servo, qui vocatus ad rationes, debebat domino suo decem millia talentorum: secundam, Matth. XXV. de talentis, quæ repetit a servis cum adjecto fenore: tertiam, Luc. XVI. de villico, quem ob dissipata bona sua, munere suo privavit. In prima, discimus debitorum nostrorum multitudinem; in secunda, exactationis rigorem; in tertia, æstimationis gravitatem. Ea vero nunc excutiemus.

I. Nemo credit, quam multa ea sint, de quibus ratio erit reddenda. Ea vero colligi possunt ex debitore decem millium talentorum, et redigi ad quinque bonorum genera, juxta numerum quinque talentorum: suntque bona gratiæ, corporis, animæ, fortunæ, jurisdictionis. Bona gratiæ sunt fides, gratia, vocationes divinæ per Dei verbum, per libros pios, per bona exempla, per inspirationes internas, per beneficia, per flagella et castigationes, sacramenta item et sacrificia, et quæcumque nobis Christi sanguine parta sunt.

Itaque reddenda imprimis ratio est de fide christiana, ad quam vocati sumus, num eam in vacuum receperimus, h. e. nullo operum bonorum fructu, quem a fidelibus exigit Deus, sicut ficus a ficulnea: item, an juxta fidei præscriptum vixerimus, an fidem nobis oblatam, ac prædicatam acceptaverimus, et qua mente: an eadem incontaminatam ad finem usque servaverimus. De gratia deinde duplici, gratis data et gratum faciente. De illa num eam ad quod data est, veluti ad docendum, sanandum, etc. debite distribuerimus; de hac vero an ea sedulo custodierimus, nec pro vili pretio distraxerimus; an cum eadem fructuose laboraverimus, et merita regni cœlestis paraverimus. De vocationibus di-

vinis; an eas audiverimus, et pulsanti Deo aperuerimus, an pro iis grati fuerimus, au potius rebelles cum Pharaone. De sacramentis, an ea suo tempore crebro debita cum præparatione et intentione susceperimus, an ea verbis et externo cultu, prout decet, honoraverimus, et :

Bona animæ sunt, intellectus, voluntas, memoria, syndæresis, ingenium, scientiæ acquiratæ, et bonæ ad virtutem propensiones a natura insitæ. Interrogabimur igitur, an ambulaverimus, quasi sapientes et ratione præditi, juxta : *Lumen vultus Dei, quod signatum est super nos*; an potius ut insipientes et velut bestię; an recte usi simus voluntate et memoria, an stimulos arguentis et monentis conscientiæ audiverimus; an ingenium in res utiles et laudabiles; an vero in ludicras et inanes impenderimus; an scientiis usi simus et artibus et quidem ad finem debitum; an potius ad fraudes, oblectationem solam, etc. an denique bonis nostris inclinationibus conformiter vixerimus.

Bona corporis sunt, sanitas, longævitas, vires, forma, sensuum integritas, bona complexio. Ergo spondebimus, quomodo usi sanitate, et pro ea grati Deo fuerimus, quantum lucri fecerimus ex longiori vita; an eam culpa nostra abruperimus; an et quo fine ac modo vires, formam, ac sensus servire nobis voluerimus; an bonam complexionem, velut præstans instrumentum bene applicuerimus; an potius margaritam pretiosam in lutum projeceimus.

Bona fortunæ sunt, dignitas, honor, victus et amictus, nobilitas, favor, tempus. Audiet igitur aliquis judicem dicentem : Ego te episcopum : ego te principem : ego te rectorem constitui : ego te opulentum : ego te nobilem feci : dedi tibi gratiam in conspectu regum : addidi tempus, quo augeres talenta tua, ubi nunc usura? Ubi lucrum meum? An potius his omnibus abusus es ad licentiam peccandi, ad luxum, ad superbiam, ad contemptum et oppressionem pauperum? Quomodo ea acquisisti? Quomodo amplificasti? Quomodo administrasti? Quomodo perdidisti?

Bona jurisdictionis sunt, liberi, subditi, discipuli, mercenarii, familia, adeoque proximus etiam : (*Mandavit enim unicuique de proximo suo*, ait Eccl. c. XVII.) Dicet ergo iudex : Quomodo ad hanc potestatem ascendisti? Quomodo oves tuas pavisti? Quomodo exemplo eis præstisti? Quomodo errantes reduxisti? Quomodo rebelles castigasti? Quomodo obsequentes amasti et præmiasti? Vide igitur, annon in his quinque talentorum generibus decies millies offenderis, adeoque decem millium talentorum debitum contraxeris. Tunc incipies agnoscere, quam vere et sapienter

Christus divitias et voluptates appellat spinas. Quas enim hic existimas et amplecteris ut rosas, ibi cum de iis reddenda erit ratio, senties esse spinas; quæ plusquam mille vulneribus cruentarunt animam tuam, et si prius doloris sensum nullum attulerunt, afferent, in iudicio tanto acerbiolem, quanto minus expectatum. Has spinas ut memoriæ infigeret Jacobus patriarcha Hierosolymorum, qui deinde pontifex, Urbanus IV. est appellatus, symbolum præferebat, cor hominis palpitans in spineto, cum epigraphe : *Recordare novissimorum*, uti refert Sadoletus, in sym. to. II. p. LXXVIII. Quisque ergo nunc volutat se in rosis divitiarum et voluptatum, cogitet, quam aliquando in districto illo examine, cor ejus palpitaturum sit in medio spinarum.

II. Nemo credit quam exacta et districta sit iudicis inquisitio. Quam tamen possumus colligere aliquatenus ex parabola talentorum, ubi dominus totidem repetit talenta pro fenore, quot dedit ad lucrandum. Deinde, unicum etiam talentum traditum requirit : et licet servus id non perdiderit, aut dissiparit, sed tantum absconderit, ac demum domino suo restituerit, nihilominus tamen acerrime objugatus et punitus est, eo quod nihil inde lucri fecerit et domino attulerit. Porro triplici de causa examen id severum erit. Primo enim, perquiret omnia et primo, exiget rationem de cogitationibus, Sap. I. *In cogitationibus impij interrogatio erit* : et Sap. VI. *Cogitationes vestras scrutabitur*. Secundo, et omni locutione : *Omne verbum otiosum*, ait Dominus, Matth. XXII. *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*. Tertio, de omni opere : *Cuncta quæ frunt*, ait Ecclesiasticus, c. XII. *adducit Deus in iudicium, pro omni errato, sive bonum, sive malum sit*. Quarto, de omissione honorum operum, ut in parab. de abscondito talento. Quinto, de ipsis etiam operibus bonis, an et quam bene facta sint, et an revera bona sint : unde dicitur Ps. LXXIV. *Cum accepero tempus, ego justitias iudicabo, justitias*, id est, opera justorum, ut exponit S. Bern. serm. LV. in Cant. vel *justitias* intelligit leges humanas regulas, ordines, taxas, mensuras, ulnas a magistratibus præscriptas, justæ fuerint, et an recte usurpatæ. Secundo, rationem exiget de usu talentorum prædictorum. Et primo, de omnibus omnino talentis supradictis, æque ac de singulis, ita ut si vel unum tantum, unica aliqua ex prædictis ratione (cogitatione scilicet vel verbo, vel opere, vel omissione) male dispensatis, reus sis futurus; quia nihil omnino vult de suo perire. Quæret igitur primo, an omnia talenta tibi tradita expenderis, uti pecunias pauperibus communicandas, etc. secundo, an ex-

penderis in res noxias, tibi et aliis interitum mercando : tertio, an saltem in res minus utiles, minusque integras, ut si ingenium tuum in rebus vilibus occupes : quarto, an in res bonas quidem, quas tamen negligentius, quam par erat, curaris, ut si non pro viribus operatus sis, minusque lucri reportes, quam vires tuæ ferebant; monuit enim Sapiens : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*, Eccl. IX. quinto, an contra Dominum tuum talentis usus sis, veluti scientia ad hæreses, pecuniis ad luxum, sensibus ad libidinem, etc. sexto, talenta rite a Domino acceperis, an potius furto abstuleris, et in iis nihilominus velut in proprii deliciatus fueris, ut si pecunias fraude vel rapina, artes ope dæmonis, dignitatem simoniace obtinueris, etc. Tertio perlustrabit et dijudicabit omnes actus nostros : ac primo, minima quæque eruet et ponderabit. Dicitur enim Sap. XVI. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus*. Ecce subtilissimas intentiones, desideria et inclinationes atque affectiones statær suæ imponet : ponderabit item speciem peccati et circumstantias. Solent juristæ dicere : *De minimis non curat prætor* : sed curat tamen Deus. Tanta nimirum est puritas christianæ religionis, ut ne minimam quidem labeculam toleret.

Secundo, occultissima quæque rimabitur, et in lucem proferet, teste Sophonia, c. II. per quem ait : *Et erit in tempore illo scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in facibus suis*. Ecce omnes angulos cordis humani rimabitur et perlustrabit etiam loca fetida ab oculis removeri et ocludi solita, id est, peccata turpia, quæ alias honoris causa non nominantur, et deprehensos in suis facibus homines manifestabit ac confundet.

Tertio, antiquas offensas necnon alienas pervestigabit, ut eas etiam quantum nos oblitus sumus, vel quas non putavimus esse noxas. Sic Petrus ille telonearius vidit a Mauris appendi in una lance peccata sua, etiam quorum jam oblitus erat, vicissim in altera unicum panem a candidatis, quem nihili aestimaverat, ut in vita S. Joan. eleemos.

Denique, ad novissimum quadrantem exiget rationem, et ne unum quidem obolum condonabit. Quis talem vidit patremfamilias, qui in magnis rationibus obolum in unum, qui forte, negligentia famuli periit, exigat ab eo? Atqui Christus talis erit. Ait enim ipse Matth. V. *Amen dico tibi, non exies inde* (e carcere scilicet ob debita vincetus) *donec reddas novissimum quadrantem*. Ad hæc inibit numerum omnium peccatorum, unde ait Job : *Tu quidem gressus meos dinumerasti*.

#### IV. PARS ÆSTIVALIS.

III. Nemo credit quanta sit futura rerum, quarum ratio exigetur, aestimatio : *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ : neque viæ vestræ, viæ meæ dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris*, Isa. LV. Hinc abbas Agathon moriens dicebat ad suos : *Homo sum, et unde scio, si opera mea Deo placeant? Cui fratres : Non confidis in opera tua, quia secundum Deum sunt? At ille : Non confido, inquit, quia aliud est iudicium Dei, et aliud hominum, in vitis patrum. Nam primo, qui bonos habet oculos et acutum visum, minimas observat maculas, videt atomos in aere, maculas in sole et luna, quas non videt, nec aestimat alius, Christus autem iudex : Acuto visu est, ut ait S. Bern. ser. LV. in Cant. Nihil inscrutatum relinquet oculus ejus. Nos hic oculos carnos tantum et carne obvelatos habemus, ideoque non magnopere apprehendimus aut magni aestimamus, nisi quæ corporalia sunt, corporique nocent aut prosunt, Deus autem alios habet oculos, spiritualia penetrantes.*

Secundo, qui valde amans est munditiæ, etiam exiguas maculas horret, nec fert in veste pretiosa; quod magnum sibi dedecus existimet allaturas. Christus puritatis amantissimus, imo puritas ipsa est, ideoque nihil coinquinatum intromittet in regnum suum.

Tertio, quanto major est qui offenditur, tanto gravius est peccatum. Tunc autem ostendit Deus majestatem suam, quam cum viderint impij, tum demum : *Videntes turbabuntur timore horribili et agnoscent peccatorum suorum gravitatem*, juxta id Joan. XIX. *Videbunt in quem transfixerunt*. Modo enim nolunt homines agnoscere, in quem et quantum Dominum tela suorum peccatorum vibrent, tunc temporis agnoscent. Idcirco peccata vocantur debita talentorum, id est, summa et incomparabilia, sicut talentum est moneta summa, reliquas omnes excedens, quia peccata in summum bonum, summæ sunt malitiæ.

Quarto, suas quisque res, quas sua manu fecit, suo sudore comparavit, vel caro pretio emit, magni aestimare solet. Bona nobis a Deo tradita Dei bona sunt, quas partim ipse fecit, ut sunt bona secundi, tertii et quarti generis; partim sanguine suo emit, et sudore suo comparavit, uti sunt bona primi ultimi generis supra enarrata. Et hoc insinuat Dominus, in parabola de villico, quem ait dissipasse bona domini sui, adeoque in iis quasi in propriis dominatum esse, et quantum in ipso est, dominum suum ex opulento pauperem fecisse. Id apostolus ad Heb. X. ait esse : *Filium Dei conculcare, et sanguinem tes-*

*tamenti pollutum ducere, quod fit, cum bona Christi sanguine parta negligimus, dissipamus, contemnimus, indigne accipimus.*

Atque hæc erit æstimatio, hoc pondus peccatorum in cælo : quod figurate designabat pondus sicli sanctuarii, seu sicli sancti, qui asservabatur in templo, et cujus ponderi respondere debebant omnes sicli, qui offerebantur a singulis capitibus, juxta id Lev. ult. *Omnis æstimatio sicli sanctuarii ponderabitur.* Quia enim sicli communes justo pondere communiter carebant, ideo ad siclum sanctum justissimi ponderis, omnes qui offerebantur sicli, debebant examinari. Sic in Capitolio servabatur amphora, mensura reliquarum, de qua Priscianus :

Amphora fit, cujus vim non violare liceret,  
Sacravere Jovi, Tarpeio in monte, Quirites.

Ad hæc confirmanda videri possunt exempla Stephani monachi rigidissime sub obitum de vita transacta examinati, apud Climacum, grad. VII. Sancti Henrici post mortem appensi in statera et ope S. Laurentii servati, in ejus vita. Primus tamen sanctus erat, ut leopardum ferocem secum quasi catellum aleret mitissimum : posterior, ut cum conjuge virgine virgo sancte vixerit.

Denique, serio et sapienter quidam, qui in vita stultus fuerat, post mortem domino suo apparens et de statu interrogatus, respondit: *Rigide computatur, et nihil remittitur.* Refert p. Joannes David, in verid. Christi, c. XCIII.

Quid ergo faciemus, auditores? « Unum est, ait S. Bernardus, serm. LV. in Cant. si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique dijudicabimur (I. Cor. XI.) Bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit et abscondit. Prorsus horreo incedere in manus Dei viventis, volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus, judicabo proinde mala mea, judicabo et bona. Scrutabor vias meas et studia mea, quo is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatam in me sive indiscussum inveniat. Neque enim judicaturus est bis in idipsum. » Hæc Bernardus.

## CONCIO VII.

STYGI CARCERIS ÆTERNITAS DESCRIBITUR VARIIS  
DE CAUSIS MISERRIMA.

I. Omni exitu et spe liberationis caret. — II. Totius æternitatis pondus simul incumbit damnatis. — III. Perpetuam tormentorum continuationem habet sine interruptione. — IV. Vitam reddit tædio et fastidio plenissimam. — V. Locus est desertissimus. — VI. Spectaculum est beatis.

## THEMA.

*Iratus dominus tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum. Matth. XVIII.*

In Messene, Græciæ civitate, carcerem fuisse scribunt subterraneum, aura et luce omni destitutum, plenum stygi horrores. Nullæ ei fores erant, sed reus per funem demissus, immani claudatur saxo. *Thesaurus* illi nomen erat, in quem magnus ille Græciæ imperator Philopæmen reconditus est, ibique veneno vitam finiit. Carcer hic, auditores, imago quædam est stygi illius carceris, in quem magnus ille debitor, decem millium talentorum, compactus esse describitur in hodierno evangelio. Quia enim tantum debitum nunquam poterit solvere, in carcere præsertim; nunquam inde liberabitur per omnem æternitatem. Unde Divus Chrysostomus, hom. VI. in hunc locum : *Ad perpetuitatem eum supplicii tradidit, inquit, nunquam enim inde rediturus est.* Recte etiam carcerem illum *thesaurum* appellamus; tum quia ibi recondit Deus ingentium debitorum reos, imo insolubilium; tum quia tam profundo et abdito loco, ut erui non possint; tum denique, quia ibi thesaurum iræ suæ conditum habet, quo omni penarum genere solvit debitores suos; uti legimus Jer. L. *Aperuit Dominus thesaurum suum* (justitiam vindicativam, quam maxime exerit in inferno) *et protulit vasa iræ suæ, necnon Rom. II. Thesaurizas tibi iram in die iræ.* Porro hujus carceris pœnas et horrorem alibi examinavimus: videamus nunc æternitatem ejus, variis de causis miseriam.

I. Prima hujus æterni carceris miseria est, quod omni liberatione omnique exitu careat et fine. Durabit ergo non longissimo solum tempore, (quod perperam sensit Origenes; eo quod Scriptura interdum longissimum tempus vocet æternum) sed vere absque ullo termino, quamdiu Deus erit Deus, et quamdiu beatorum durabit vita et felicitas. Ita enim clare loquitur Scriptura plurimis in locis, uti Matth. III. *Paleas comburet igni inextinguibili, et c. XXV. Ibunt hi in suppli-*

*cium æternum, justi autem in vitam æternam.* Sicut ergo horum vita erit æterna; ita supplicium illorum æternum: rursus, Isa. LXVI. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Quam sententiam Christus, Marc. IX. ter repetit; ut propriam, non metaphoricam locutionem esse sciamus. Stupenda quidem et miranda res, ignem illum nunquam extingui: et inferos in eo semper uri, nunquam exuri: sed facile est Deo utrumque hoc efficere; quod imprimis discere possumus ex natura. Producit natura asbeston lapidem, in Arcadiæ montibus, sic dictum, quod semel accensus, sit inextinguibilis, ut tradit D. August. l. XXI. de civit. c. V. Solinus, c. XII. Plinius, l. XXXVII. c. X. Isid. l. XIV. c. IV. qui addit in templo quodam Veneris constitutam fuisse lucernam ex asbesto ardentem, quæ nec imbrium, nec ventorum vi potuerit extingui. Producit etiam natura linum incombustibile, ideoque vivum appellatum ex quo confectæ telæ, si igni injiciantur, pulchrius abluuntur et splendescunt, quam si aquis lavarentur, ut scribit Plinius, l. XIX. c. I. qui addit, regum inde funebres tunicas factas, ut combusti corporis favillam continerent, et ab aliis cineribus separarent. Tradunt etiam plurimi salamandram, rigidissimæ naturæ animal, sine noxa in igne vivere. Monstrat ergo vel natura argumentum aliquod æterni ignis, qui nunquam extinguetur: semper uret, nunquam exuret inferos.

Jam vero quis animo concipere queat, quanta et quam longa sit hæc æternitas? Dicat mihi aliquis, quamdiu regnaturus sit Deus et sancti cum eo in cælo: et dicam ei quamdiu in inferno cruciandi sint damnati. Illud ss. litteræ hunc in modum explicant: *Dominus regnabit in æternum et ultra, Exod. XV. et rursus: Ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra, Mich. IV.* Quid vero est ultra æternum? Volunt dicere propheta, nullam concipi posse durationem tam longam, ultra quam se non extendat æternitas. « Quasi dicat Moyses, inquit Origenes, in Exod. Putasne in sæculum sæculi Deum regnaturum? Regnabit adhuc, vel ultra, et quodcumque dixeris, illud de regni ejus spatiis semper tibi propheta dicet: Et adhuc sive ultra. » Concipe igitur mille milliones annorum: patientur inferi adhuc et ultra, quia restabit adhuc tota æternitas. Cogita totum oceanum inferis exhaustum et quidquid aquarum est in mundo, ita tamen, ut post singulos mille annos unicum duntaxat guttam auferant, quantum istud temporis spatium erit? Sed nihil respectu æternitatis est; quia patientur adhuc ultra. Cogita omnes arenulas, quotquot sunt ad littora maris et in

toto mundo, inferis asportandas et in mare proiciendas, ita tamen ut singulis mille annis unicum arenam tollant: quis hoc comprehendere spatium queat? Sed nihil istud est, patientur adhuc ultra. Cogita ad firmamentum usque (quod a terra distat 80. millionibus milliariis et medio) inferis ascendendum, ita tamen ut singulis mille annis unum passum, non plures, facere debeant; quantum insument tempus? Sed nihil hoc, patientur adhuc ultra. Si bis mille annis viveres, et quotidie in altum directe ascenderes ad 100. milliaria, ac continuo quidem: post mille annos nondum pervenires ad concavum firmamenti; quia conficeres primum 73. milliones. Quando igitur illuc perventurus esses, si non quotidie centum milliaria, sed singulis mille annis unum facere passum deberes? Et tamen nihil hoc ad æternitatem, quia plus ultra se extendit? Ineffabilem lætitiâ inferis nuntiares, si diceres, vel post dictum illud itineris spatium, cælum ipsis reserandum. Sed heu, neque hoc sperare possunt. O æternitas, quam longa es! Sed jam demostremus, eam quodammodo se ipsa adhuc longiorem esse, ex ejus proprietatibus.

II. Secunda ergo illius carceris miseria est, quod immani saxo claudatur et quodammodo prematur. Saxum vero hoc nil aliud est, quam immensum illud pondus totius æternitatis, quod sustinent damnati: dum simul patiuntur totum id, quod in æternum patientur. Æternitas enim uti bonum, quod affecerit, infinite melius efficit: ita etiam malum: primo, ratione durationis, quia tribuit ei infinitam durationem adeoque infinitum esse, ac per consequens infinite melius vel pejus esse. Quis enim nescit voluptatem unius anni pluris æstimari voluptate unius horæ? Ustionem unius anni acrius sentiri ustione unius horæ? Secundo, ratione collectionis illius boni vel mali; quia æternitas colligit totum id bonum vel malum in unum, et simul percipi ac gustari facit; velut si omnes cupediæ et deliciæ lautii convivii simul uno bolo vel haustu sorberentur, ut docet Lessius, l. IV. de Pers. div. c. III. Atque hoc est *talentum* illud *plumbi*, seu, ut est in Hebr. *lapis plumbi*, quo oclusa fuit amphora, in quam projecta prius mulier erat, designans impietatem, Zach. V. Amphora namque illa infernum: impia mulier damnatos: talentum vero plumbi amphoræ os claudens, pondus æternitatis denotat, quo opprimuntur inferi et undique clauduntur, ut manifeste videant, nullum sibi patere exitum per omnem æternitatem. Adumbrarunt hoc idem gentiles apud Virgil. lib. VI. Æneid. in quorundam sceleratorum ad inferos damnatorum supplicio, quo immi